

vel statutis Ecclesiarum impositis puniatur. Quod si a Superioribus moniti, ab eis non abstinerint, teriti parte fructuum — ipso facto sine privati &c. Ubi ponderandum h, de quibus possit haberi suspicio: item, quod moniti solum requiratur ad incurrandam ipso facto privationem tertie partis fructuum &c. non vero ad poenas a Sacris Canonibus, vel Statutis Ecclesiarum antiquitus impositas.

TITULUS III. De Clericis Conjugatis.

I Ratio continuationis Rubricarum.

Vifum est Titulo precedenti de cohabitatione Clericorum & mulierum illicita, videndum nunc restat de cohabitatione ipsorum licita, quae oritur ex legitimo matrimonio. Circa quod, nec non circa privilegia Clericis conjugatis competentia, vel non competentia, plures occurrunt difficultates, unde fit

§. I.

De contractu matrimoniali Clericorum, & amissione Beneficiorum inde secuta.

SUMMARIUM.

- 1 Clerici in minoribus Ordinibus valide, ac licite, matrimonium contrahere possunt.
2 Non vero Clerici in Sacris Ordinibus constituti.
3 Et cur?
4 Cur votum simplex Castitatis non dirimat matrimonium postea contractum, bene tamen solenne?
5 & 7. Cur Ecclesia voluerit Clericos, in Sacris Ordinibus constitutos, illegitimare ad contrahendum matrimonium?
8 Clerici Graecis in Sacris Ordinibus constitutis non licet matrimonium contrahere, sed solum antea contracto uti.
9 Clerici in Ordinibus minoribus contrahendo matrimonium, ipso facto perdunt Beneficium praehabitu. & num. seqq.
10 Plus est factis demonstrare, quam verbis dicere.
11 Quomodo hujusmodi Clerici dicantur privandi suis Beneficiis?
12 Solutio alia instantia.
13 Vacatio ista Beneficii ipso jure inducitur, procedit etiam in matrimonio rato necdum consummato: non vero in sponsalibus de futuro. Et num. 16.
14 Clericus Beneficiarius post contractum matrimonium non recuperat Beneficium, licet uxor ipsius necdum cognita moriatur, aut Religionem ingrediatur.
15 Neque is potest retinere priora Beneficia &c.
16 Cur per sponsalia de futuro non vacet Beneficium praehabitu?
17 An Clerici invalide contrahentes matrimonium, ipso facto perdant Beneficium praehabitu? Et num. seqq.
18 In matrimoniis contrahendis non juris effectus, sed animi destinatio attenditur.

19. 20. & 21. Et quid, si Clericus Beneficiarius scienter matrimonium invalide contraxit.

Quaeritur I. Quinam Clerici possint, vel non possint, matrimonium contrahere? Resp. I. Clerici in minoribus duntaxat Ordinibus constituti, valide, ac licite matrimonium contrahere possunt. Ita communis; idque patet ex can. placuit. & can. Seriatim. dist. 32. In quo tamen posteriori loco excipiuntur Clerici, habentes votum continentiae: nam hi ratione voti illicitè contraherent. Concordat cap. 1. & cap. 3. h. t. ubi Conclusio ampliatur ad Clericos Minoristas, beneficium Ecclesiasticum habentes, quamvis isto postmodum priventur, juxta inferendis dicenda.

Resp. II. Clerici in Sacris Ordinibus constituti, nec licite, nec valide matrimonium contrahere possunt. Ita communis Catholicorum: atque patet ex can. Presbyterum. dist. 28. & cap. 1. h. t. ubi talia matrimonia, veluti invalida, separari jubentur; & Clerici sic contrahentes ad agendum de commisso poenitentiam per suspensionis, atque excommunicationis sententiam compelluntur. Quinimo juxta Clem. Eos qui. de Consanguinit. & affinit. ipso facto excommunicantur. Concordat Consilium Tridentinum. Sess. 24. can. 9. sic definitis: Si quis dixerit, Clericos in Sacris Ordinibus constitutos, vel Regulares, castitatem solemniter professos, posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege Ecclesiastica, vel voto --- anathema sit.

Accedit ratio: quia Ecclesia Clericos in Sacris Ordinibus constitutos (sicut & Religiosos solemniter professos) inhabilitavit ad contrahendum matrimonium; uti constat ex cap. un. de Voto in 6. junctis Juribus haecenus allegatis. Unde, sicut consanguinitas, vel affinitas usque ad quartum gradum: cum similibus, Jure Ecclesiastico impedit matrimonium contrahendum, & dirimit contractum: ita etiam dicendum est de voto, quod solemniter professos fuit per susceptionem Sacri Ordinis, aut solemnem professionem Religionis ab Ecclesia approbatæ, juxta cit. cap. un. de Voto in 6. Nec obstat, quod votum simplex castitatis solummodo impedit matrimonium contrahendum, non vero dirimat contractum. Resp. enim cum Scoto in 4. dist. 30. in fin. disparitatem esse: quia Ecclesia habentes votum solenne Castitatis illegitimavit ad contrahendum matrimonium; non autem habentes votum duntaxat simplex. Et hoc rationabiliter factum fuit: quia habens votum solenne castitatis, posuit se in potestate Ecclesiae, quantum ad oppositum ejus, ad quod est contractus matrimonii; non vero alter, habens solummodo votum simplex. Et hinc noluit Ecclesia hunc illegitimare ad contrahendum matrimonium, sed eum reliquit judicio Divino: bene tamen illum.

Et si petas, quare Ecclesia voluerit Clericos in Sacris Ordinibus constitutos illegitimare ad contrahendum matrimonium? Resp. Causas hujusmodi esse multiplices, & graves. Prima desumitur ex doctrina S. Pauli Apostoli 1. Corinth. 7. ipsis conjugibus suadentis, ut ex consensu ad tempus abstineant ab actu conjugali, ut possint vacare orationi. Unde can. Si laicus. dist. 31. notanter dicitur: Si laicus, & quicumque fidelis orare non possit, nisi careat officio conjugali; Sacerdoti, cui semper pro populo offerenda sunt sacrificia, semper orandum est: si semper orandum est, ergo semper matrimonio carendum. Hac ibi. Secunda habetur can. Decernimus. dist. 28. illis verbis expressa: Cum enim

enim ipsi (Clerici in Ordinibus Sacris constituti) templum, vasa Domini, & sacrarium Spiritus Sancti debent esse, & dici: indignum est, eos cubilibus & immunditiis deservire. Tertia & cum praecedentibus in re concordans, continetur in c. Quod d. re. 3. h. t. quia videlicet Clerici simul voluptatibus & carnalibus desideriis, ac Divinis & Ecclesiasticis obsequiis, vacare non valent. Quod ipsum aliis verbis, & quidem clarioribus, declaratur c. diversis. 5. h. t. dicendo, quod in Clericorum conversatione Cithara cum Psalterio male concordet: cumque vir cogitet, quomodo placere possit uxori, ideò minus, quae Dei sunt, valeat cogitare &c.

Accedit quarta ratio. Siquidem uxoratus est divinus in duo, cogitatur, quae sunt mundi, & quomodo placeat uxori suae, 1. Corinth. 7. Unde plenam sui non habet potestatem, ut ei, à quo stipendium recipit (pura Ecclesiae suae) plenius famuletur, cit. c. Diversis. 5. h. t. Ubi & alia, seu quinta hujus ratio subjungitur: quia videlicet rerum Ecclesiasticarum substantia per tales (Clericos uxoratos) solet deperire, propter necessitatem alendi propriam uxorem, atque liberos, can. De Syracusana. dist. 28. Per quod etiam diminuitur hospitalitas, quam Sacri Canones in Clericis, praesertim Beneficiariis, requirunt veluti debitam, juxta dicta Tit. 1. De Vita & honestat. cleric. §. 2. num. 61. & 62. Simulque redditus Ecclesiastici, qui ex primæva Ecclesiae, ac Fundatorum intentione, ad pios, pauperumque usus sunt destinati, in uxorem & liberos, alioque profanos usus expenduntur. Quin etiam subintraret periculum haereditariae successione in Beneficiis, quam Ecclesia Dei semper detestatur, can. Apostolica. c. 8. q. 1. & c. Ex transmissa. 7. de Filiis Presby. cum similibus. Atque valideret dignitas Sacerdotum: nec majori in reverentia haberentur isti à populo, si ipsos sibi similes, neque specialiter vitae puritate, atque perfectione nitentes conspicerent, contra can. Beatus Petrus. §. Infames. c. 6. q. 1. & can. Qualis enim c. 8. q. 1. cum concordantibus.

Dices. Clerici Ecclesiae Orientalis, sive Graeci Sacerdotes, defacto vivunt uxorati, non obstantibus praemissis causis; ergo allata Conclusio non videtur subsistere. Resp. neg. consequent. Quia neque Graecis in Sacro Ordine constitutis unquam licuit, aut defacto licet uxorem ducere, can. Si quis eorum. dist. 32. junctâ Glossâ un. ibid. sed solum eidem permittitur est, uxore, quam virginem in Ordinibus Minoribus constituti duxerunt, postea in majoribus adhuc uti, can. Nizæna. dist. 31. &c. Cum olim. 6. h. t. Ubi Pontifex, hujus rationem reddens, sic loquitur: Nos igitur attendentes, quod Orientalis Ecclesia votum continentiae non admittit: quoniam Orientales in minoribus Ordinibus contrahunt, & in superioribus vivunt matrimonio jam contracto &c. Quomodo autem Sacerdotes Graeci praecaveant memoratis inconvenientiis, non est hujus loci investigare: saltem non sunt in tanta aestimatione, atque reverentia coram populo, quantum habere solent Sacerdotes Latini, atque in perpetua continentia viventes.

Quaeritur II. Utrum Clerici contrahendo matrimonium perdant Beneficia prius habita; & quomodo? Resp. I. Si Clericus in Ordinibus minoribus constitutus contrahat matrimonium, ipso facto perdit Beneficium praehabitu, etiam ante aliam Judicis sententiam: adeo, ut statim à momento contractus valide initi, possit Beneficium alteri conferri. Ita Glossa cap. 1. §. Relinquenda, & Abbas ibid. n. 5. & Barbosa nu. 2. h. t. Covarruvias de Matrimon. part. 2. cap. 6. §. 3. n. 5. Navarrus cap. 25. Manual. nu. 129. Angelus in Summa. §.

Clericus §. n. 1. Gonzalez ad Reg. 8. Cancellar. gloss. 15. n. 43. & 44. Garciae part. 11. de Beneficiis, cap. 8. n. 1. allegans Rotam Decis. 1. h. t. in novis. Sanchez. lib. 7. de matrim. disp. 42. n. 4. cians plurimos alios, atque assertens, istud esse certissimum. Conclusio haec desumitur ex cap. 1. h. t. ubi Clerici in minoribus contrahentes matrimonium, distractione Ecclesiastica compelluntur ad relinquenda Beneficia Ecclesiastica. Quasi diceretur: quia Beneficia ipso jure vacant, merito coguntur Clerici ad eadem relinquenda. Accedit ratio: quia Beneficium, & matrimonium, de Jure sunt duo incompatibilia, cap. 3. & 5. h. t. cum concordantibus, & consequenter, qui matrimonium eligit, contrahit, Beneficio tacite, atque ipso facto renunciare censetur.

Nec obstat, quod resignatio beneficii Ecclesiastici non valeat, nisi interveniente autoritate Ordinarii, talem resignationem acceptantis, can. Si qui verò. & can. Si quis Presbyter c. 7. q. 1. & c. Admonet. 4. de Renunciat. cum similibus. Resp. enim, hujusmodi Canones procedere de renunciatione expresse, quae fit per verba, vel scripturam: secus dicendum de renunciatione tacita, quae fit per facta illa, quibus positus est ipsius Juris constitutio Beneficium amittitur, sed retineri nequit. Nam, ut c. dilecti. 52. de Appellation. dicitur: Plus est facto provocare (resignare) quam verbo. Sive, ut Glossa un. ibid. loquitur, Plus est factis demonstrare, quam verbis dicere. Et hinc in simili, Clericus per annum exercens artem ignominiosam histrionum, ipso jure perdit privilegium Clericale, cap. un. de Vita & honestat. Clericor. in 6. quamvis huic verbi renunciare non possit, c. Si diligenti 12. de Foro competent. Unde Glossa cap. ult. §. Cum facto. de Vita & honestat. Cleric. rectè notat, quod, quamvis Clericus non possit verbo renunciare privilegio Clericali, possit tamen eidem renunciare facto, quatenus se reddit ipso indignum.

Dices. In c. Quod ad te. 3. & c. Diversis. 5. h. t. 11 dicitur, Clericos matrimonium contrahentes, esse privandos Ecclesiasticis beneficiis; ergo non sunt ipso jure privati, sed opus est sententia Judicis. Resp. neg. consequent. Nam hujusmodi Jura loquuntur de privatione possessionis, ac fructuum Beneficii, facienda per actualem expulsiorem, casu quo Clericus conjugatus violenter eos retinere vellet: non vero de privatione juris, ac tituli, quem Clericus antea habuerat, sed per contractum matrimonialem ipso facto jam amiserat. Et istud est, quod voluit Glossa cap. 1. §. Relinquenda. h. t. dicens, quod hujusmodi privato, sive compulsio Clericorum conjugatorum ad relinquenda Beneficia praehabita, retorquetur quoad factum solum, sive possessionem: quia vacare intelliguntur ipso jure.

Urgebis. Poena externam executionem requireres, non obligant in conscientia ante sententiam Judicis, arg. c. Cum secundum. 19. de Haeretic. in 6. ubi bona Haereticorum ipso jure confiscata, non possunt apprehendi ante sententiam declaratoriam Judicis super crimine commisso; ergo idem dicendum de Beneficio Clerici uxorati. Resp. neg. consequent. Quia istud, quod Beneficium Clerici matrimonium contrahentes statim vacet ipso jure, non est statutum in poenam delicti, ut super eo commissio requiratur sententia declaratoria Judicis (nam Clericus minorista contrahens matrimonium non peccat, sicut nulli poena dignus est) sed id provenit ex incompatibilitate status conjugalis cum Beneficio; ut proxime Clericum eundem spontaneè eligens, censetur tacite, etiam ipso facto Beneficium resignare, atque dimittere. Sanchez cit. lib. 7. disp. 42. n. 4. Engel h. t. n. 2. & alii.

- 13 Resp. II. Præmissa Conclusio, seu vacatio Beneficii ipso jure inducta, procedit etiam in matrimonio rato necdum consummato: non autem in sponsalibus de futuro. Ita Abbas *cit. cap. 1. n. 5. h. t. Navarrus cap. 25. Manual. n. 120. Angelus in Summa. §. Clericus. 5. n. 1. Gonzalez cit. gloss. 15. n. 43. Garcias, ubi supra, cap. 8. n. 1. Sanchez cit. disp. 42. n. 5. Pirhing. h. t. n. 13. & alii. Ratio prioris partis est, quæ supra: quia videlicet verè jam assumptus est status incompatibilis cum Beneficio, ac proinde huic tacitè, atque ipso facto renunciatur; quòd proinde ipso jure vacare dignoscitur. Ex quo*
- 14 Infertur primò, quòd si Clericus Minorista Beneficiarius contraxerit matrimonium de presentè, & uxor ipsius nondum cognita moriatur, aut Religionem ingrediatur, non idcirco Clericus ille Beneficium recuperet. Abbas *cap. 1. n. 5. & Barbosa ibid. n. 4. & 5. h. t. Covarruvias cit. part. 2. de matrim. cap. 6. §. 3. n. 5. Garcias d. part. 11. cap. 8. n. 2. Sanchez cit. n. 5. Navarrus, & Angelus, ubi supra. Pirhing. h. t. n. 13. & alii passim. Reverà enim per assumptionem status matrimonialis, utpote incompatibilis cum Beneficio, huic ipso facto renunciatum fuit, sicque vacavit Beneficium: unde abque nova canonica institutione non potest recuperari, *cap. 2. & cap. 3. de Renunciat. junctâ Reg. 1. Juris in 6. Siquidem jus semel extinctum non reviviscit, licet cesset causa extinctionis, can. Quam periculofum. c. 7. q. 1. junctis concordantiis ibidem per Glossam allegatis.**
- 15 Infertur ulterius, quòd ejusmodi Clericus post contractum matrimonium nullatenus possit retinere priora Beneficia, sed istam teneatur ea dimittere, eò quòd ipso jure vacant; alioquin quippe peccaret mortaliter, ac teneretur restituere omnes fructus, utpote ex re non sua perceptos. Barbosa *cit. cap. 1. n. 2. h. t. Navarrus, & Angelus, ubi supra Sanchez, d. disp. 42. n. 10. & seqq. citans alios, ac plura familia Cõrrollaria subinterens.*
- 16 Altera verò pars datæ Conclusionis, loquens de Sponsalibus de futuro, est Abbatis *cit. cap. 1. n. 5. & Barbosa ibid. n. 11. h. t. allegantis Rotam Decis. 772. n. 2. part. 2. Recent. Garcias d. cap. 8. n. 9. citantis plures alios: atque alterentis, certum esse, quòd per Sponsalia de futuro non vacet Beneficium Clerici. Accedit ratio: tum quia sponsalia de futuro multis modis possunt dissolvi, sicquè statum plenè incompatibilem non inducunt; prout argumentatur Abbas *Consil. 62. n. 18. part. 2. Tum quia per ademptionem posterioris Beneficii incompatibilis, prius neutiquam vacat, donec quis plenam posterioris possessionem acquisierit, recipiendo fructus ipsius, c. Si tibi concessio. 26. de Præbend. in 6. Idem ergo dicendum de sponsalibus de futuro, utpote plenum jus non tributentibus.**
- 17 Resp. III. An Clerici invalidè contrahentes matrimonium, ipso facto perdant Beneficium præhabuit, variant Doctores; prout videre est apud Sanchez *cit. lib. 7. de matrim. disp. 43. nu. 1. & seqq. & Garciam d. part. 11. de Beneficiis, cap. 8. n. 4. & 5. ac seqq. diversas Doctorum sententias referentem. Brevis tamen dicendum, quòd si Clerici in minoribus Ordinibus constituti, vero nubendi animo invalidè contrahant matrimonium ob occultum aliquod impedimentum, quod ignorant, ipso jure perdant præhabuit Beneficium, illudque vacet: nam ejusmodi Clericus veram, atque efficacem habuit intentionem nubendi, sicque eligendi statum Beneficio incompatibilem; & consequenter huic tacitè, atque ipso facto renunciandi. Et hanc sententiam esse communem verè omnium, asserit Sanchez *cit. disp. 43. n. 5. plurimos pro eadem**

Autores allegans, quamvis ipse possèd illam opinionem sequatur; requiring ad hoc sententiam Judicis.

Nec obstat, quòd ejusmodi matrimonium sit nullum ob occultum, & ignoratum antè impedimentum; sicque videatur subintrare Regul. 52. Juris in 6. *Non præstat impedimentum, quod de jure non sortitur effectum.* Resp. enim, per dictum occultum impedimentum vitari quidem matrimonium, atque reddi invalidum; non verò destrui veram præhabitam intentionem nubendi, sicque Beneficium tacitè, ipsoque facto resignandi. Nec urget allegata Regula: nam, præter alias ejus fallentias, specialiter ipsa limitatur in matrimonio: cum in matrimonii contrahendis non juris effectus, sed animi destinatio attendatur, prout habetur c. Nuper. 4. de Bigamis non ordinand. Ubi idcirco decisum legitur, quòd is, qui mortuâ uxore promotus ad Ordines Sacros fuit, & postea cum secunda de facto contraxit, hancque cognovit, bigamia pœnam incurrat, haud obstante invaliditate posterioris matrimonii: prout etiam secundum Leges infamiam contrahit, qui duas simul habet uxores, *cit. Nuper. & l. Eum qui. C. Ad Leg. Jul. de adulter.*

Quòd si verò talis Clericus Beneficiarius cognoscatur impedimentum dirimens, & sic scienter matrimonium invalidè, seu de facto duntaxat contrahat; ut puta, quia est constitutus in Sacris Ordinibus; aut contrahit cum consanguinea, vel impubere &c. tunc plures Doctores volunt, ejusmodi Clericum non ipso jure perdidisse præhabuit Beneficium, sed ad hoc esse necessariam sententiam Judicis, qui in pœnam delicti ipsam privet Beneficio. Rationem dant: quia scienter contrahens matrimonium invalidè, non assumit statum incompatibilem cum Beneficio; novit enim, le nulliter agere: sola autem voluntas dimittendi Beneficium non sufficit ad hujus vacaturam, nisi fiat resignatio ipsius in manus Superioris, c. Admoner. 4. de Renunciat. cum similibus. Atque ita videtur tenere Glossa *fin. cap. 1. h. t. pro se allegans can. Presbyterum. dist. 28. Id ipsum expresse tenet Barbosa cap. 1. n. 7. h. t. Mascardus de Probationib. Concl. 183. n. 5. & 6. asserens, hanc Conclusionem esse communiorum. Sanchez cit. lib. 7. disp. 43. n. 3. & 4. citans plures alios, hancque appellans probabiliorum.*

Oppositum tamen, videlicet in tali etiam casu perdi Beneficium ipso jure, tenet Abbas *cap. 1. n. 7. h. t. Covarruvias part. 2. matrim. cap. 6. §. 3. n. 5. Navarrus cap. 25. Manual. n. 120. Flamin. Parisius lib. 1. de Resignat. Beneficior. quest. 1. n. 12. Sylvester §. Clericus. 2. n. 2. Angelus in Summa. §. Clericus. 5. n. 1. Gonzalez ad Reg. 8. Cancellar. Gloss. 15. nu. 44. citans Rotam Decis. 1. & 2. de Sponsalib. in antiq. Garcias part. 11. de Beneficiis, cap. 8. n. 4. allegans plurimos alios. Ratio est: quia contrahens matrimonium, etiam scienter cum impedimento dirimente, quantum in ipso fuit, assumpsit statum cum Beneficio incompatibilem, sicque tacitè, atque ipso facto, huic renunciavit.*

Nec obstat, quòd scienter contraxerit invalidè; sicque nihil egisse, imò nec intentionem contrahendi habuisse videatur. Resp. enim, in matrimonii contrahendis non juris effectum, sed animi destinationem attendi, ut proxime dictum est n. 18. ac proinde in proposito induci vacaturam Beneficii ipso jure, non quidem propter effectum, seu valorem matrimonii; sed propter effectum intentionis cum opere subsecuto: prout in simili loquitur Pontifex c. Nuper. 4. de Bigamis non ordinand. Quòd autem in scienter contrahente matrimonium cum impedimento dirimente, hoc ipso deficiat intentio contrahendi, falsum est; ut loquitur Covar.

Covarruvias *cit. n. 5. & patet ex Clem. un. de Con-sanguinit. & affinit. cum similibus.*

§. II.

De privilegiis Clericorum conjugatorum.

SUMMARIUM.

- 22 Clerici conjugati in Minoribus existentes, gaudent privilegio Canonis, & Fori.
- 23 Dummodò habeant tres condiciones ad hoc requisitas; & quas? Bigami sunt nudati omni privilegio Clericali. Ibid.
- 24 Clerici conjugati nullo gaudent privilegio in bonis suis; sicque tenentur præstare consuetas exactiones, tributa &c.
- 25 Insuper probabilius est, eos privilegio Fori gaudere solum in criminalibus, non in civilibus.
- 26 Unde in causis merè civilibus conveniendi sunt coram Judice suo seculari.
- 27 Possunt ad hoc incarcerari pro debito merè civili &c.
- 28 Neque gaudent ullo alio privilegio Clericali. Et num. 42.
- 29 Solvitur notabilis instantia, ex cap. un. h. t. in 6. desumpta.
- 30 An Clericus conjugatus ad superiores Ordines promoveri valeat? Et num. seqq. Istud in Ecclesia Græca fieri posse, est extra controversiam. Ibid.
- 31 Clericus conjugatus Ecclesie Latine nequit promoveri ad Sacros Ordines, nisi uxore consentiente, & continentiam vovente &c.
- 32 Dempso casu, quo legitimam divortii causam habens, v. g. ob adulterium uxoris, ordinari desideret.
- 33 Conjugatus etiam ad primam Tonsuram, vel hæc jam receptâ ad Ordines minores, promovetur nequit &c. Et num. seqq.
- 34 Nisi ipse votum continentie antè præstiterit.
- 35 Et cur tale votum exigatur ab uxorato; non verò à celibe, ad Ordines minores promovendo? Et num. præced.
- 36 Et nisi conjugatus ille ordinetur de consensu uxoris continentiam vovens. Et num. 33.
- 37 Solvitur instantia.
- 38 Conjugatus ad Ordinem Sacrum absque licentia uxoris transiens, nequit in suscepto Ordine ministrare, aut Beneficium &c. acquirere: nisi Religionem canonicè fuerit ingressus.
- 39 Marius absque licentia uxoris ad Ordines sacros promotus, potest ad ista ad consortium conjugale revocari.
- 40 Ita tamen, ut ille nec debitum petere, nec mortuâ conjuge aliud matrimonium contrahere valeat.
- 41 Clerici conjugati an possint habere Beneficium Ecclesiasticum? Et num. seqq. Nequecum istud obtinere absque legitima dispensatione. Ibid.
- 42 Nisi consentiente, pariterque vovente conjuge, castitatem voverint perpetuam. Dicitio, Nisi, est exceptiva &c. Ibid.
- 43 Idque amplius probatur.
- 44 Clericus conjugatus, non præter privilegium Canonis, & Fori, habetur pro mero Laico &c. Ibid. & num. 28.
- 44 An possit obtinere Pensionem.
- 45 Clericus conjugatus, castitatem perpetuam non

vovens; qualecunque Beneficium obtineat, requiritur dispensatio Summi Pontificis.

46 Nec sufficit dispensatio Episcopi, etiam quoad Beneficium simplex. Et num. præc.

47 Episcopus dispensat in Beneficio simplici cum homicida, ejusve irregularitate; non verò cum Clerico conjugato: & cur?

Queritur I. Utrum Clerici conjugati, in Ordinibus minoribus constituti, gaudeant privilegiis Clericalibus? Resp. I. Hujusmodi Clerici conjugati, si observent tres condiciones num. seq. declarandas, gaudent privilegio Canonis, Si quis suadente. 17. q. 4. simulque privilegio Fori in causis criminalibus: aded ut hujusmodi Clerici conjugati pro commissis ab eis excessibus, vel delictis, trahi non possint criminaliter, aut civiliter ad judicium secularè: nec ab ipsis secularibus Judicibus debeant personaliter, vel etiam peculiariter (ne per unam viam concedatur eisdem, quod per aliam denegatur) ullatenus condemnari. Ita textus expressus in cap. un. h. t. in 6. Idque novissimè confirmatum, atque innovatum fuit in Concilio Tridentino Sess. 23. cap. 6. de Reform. additâ clausulâ illâ derogatoriâ: Nemini quoad hoc, privilegio, vel consuetudine, etiam immemorabili suffragante.

Porro condiciones ad hoc requisitæ, sunt tres; 23 quarum priores duæ habentur *cit. cap. un. h. t. in 6. Tertia verò novissimè addita fuit in Concilio Tridentino loc. cit. Prima est: Ut ejusmodi Clerici cum unica, & virgine contraxerint: alioquin enim forent bigami, qui sunt nudati omni privilegio Clericali; cap. un. de Bigamis, in 6. Secunda est: Ut deserant tonsuram, & vestes Clericales. Tertia tandem, & à Concilio Tridentino novissimè appositâ conditio, est: Ut tales Clerici alicujus Ecclesie servitio, vel ministerio ab Episcopo deputati, eidem Ecclesie serviant, vel ministrent. Et harum trium conditionum una deficiente, Clerici conjugati nullo prorsus gaudent privilegio Clericali: nam dictæ tres condiciones requiruntur in ipsis copulativè ad participandum privilegium Canonis, & Fori, modo prædicto; uti liquet ex *cit. cap. un. §. fin. h. t. in 6. junctò Concilio Tridentino cit. Sess. 23. cap. 6. de Reform.**

Resp. II. Nihilominus ejusmodi Clerici conjugati nullo gaudent privilegio Clericali in rebus, seu bonis suis: ac proinde, sicut alii uxorati, tenentur præstare consuetas exactiones, seu collectas, tributa, aliaque servitia. Ita textus in cap. un. §. fin. h. t. in 6. ubi dicitur: In cæteris autem (hoc est, præter casus proximè enumeratos) eos gaudere nolumus privilegio Clericali. Idipsum habetur c. Ex parte. 9. h. t. ubi Abbas, Jo. Andreas, Barbosa n. 3. & alii. Covarruvias Practic. Quest. cap. 31. n. 9. Sanchez lib. 7. de matrim. disp. 46. n. 16. & communis.

Resp. III. Insuper probabilius est, hujusmodi Clericos conjugatos privilegio Fori gaudere duntaxat in causis criminalibus, non autem in civilibus. Ita Jo. Andreas *cap. un. num. 2. & Barbosa ibid. n. 8. & 9. h. t. in 6. Abbas c. Joannes. n. 3. h. t. Covarruvias Practic. Quest. cap. 31. n. 7. Farinacius lib. 1. Praxis Criminal. quest. 8. n. 7. Sanchez cit. disp. 46. n. 22. & alii; contra Franchum cap. un. §. Et cum. n. 4. de Cleric. conjugat. in 6. Lapum Allegat. 118. Bellettum Disquisit. Clerical. part. 1. §. 8. De favor. Cleric. personal. n. 9. Engel h. t. n. 7. Martham de juridic. part. 1. cent. 2. cas. 159. n. 5. & nonnullos alios, quos in contrarium citat Barbosa d. nu. 8. Ratio Conclusionis desumitur ex *cit. cap. un. h. t. in 6. ubi post concessum talibus**

etiam Sacros, juxta dicta num. 31. ita etiam licite, atque sine alia dispensatione, potest promoveri ad Beneficium Ecclesiasticum: ne forsitan ceteroquin in opprobrium suscepti statum Clericalis mendicare cogetur. Atque istud clarè indicat Dicitio, Nisi, in proximè allegatis Juribus contenta: nam hæc dicitio de sui natura est exceptiva, & in effectu adversatur præcedentibus; ut c. peccatum. 4. de Reg. Jur. in 6. cum similibus. Et si oratio negativa præcedit, affirmat Barbosa de Dictionib. usu frequent. Dicit. 217. allegans plurimos alios.

43 Accedit ratio Conclusionis sic explicata. Tum quia præter privilegium Canonis, & Fori (modo superius jam declarato) Clericus conjugatus habetur pro mero Laico, nulloque privilegio Clericali gaudet, cap. un. §. In ceteris. h. t. in 6. ac proinde nec beneficium Ecclesiasticum obtinere potest. Gonzalez ad Reg. 8. Cancellar. gloss. 2. n. 63. post Joan. de Selva part. 1. de Beneficiis. quest. 7. n. 17. & part. 3. q. 5. n. 19. Tum quia Clerico in Ordinibus minoribus constituto, & matrimonium contrahente, vacant ejus præhabita Beneficia ipso jure, cap. 1. & c. Quod à te. 3. & c. Diversis. 5. h. t. Ergo nec imposterum talia ipsi sunt conferenda, propter incompatibilitatem status conjugalis cum Beneficio, conformiter dictis supra §. 1. numer. 6. & 7.

44 Et quæ nunc dicta sunt de Beneficio, procedunt pariter de Pensione Ecclesiastica, seu quæ titulo Clericali conferri solet. Sanchez lib. 7. de matrimon. disp. 44. n. 9. Barbosa cap. 2. h. t. Secus dicendum de Pensione, quæ datur pro ministerio merè temporalis; ut putà, pro pulsandis organis, aut campanis, vel pro gerenda advocatia Ecclesiæ: quia pro talibus ministeriis bene potest Clericus conjugatus habere stipendium ab Ecclesia, non tamen in titulum. Abbas b. Joannes. n. 7. & 8. h. t. citans Hostiensium. Sanchez cit. dist. 44. n. 2. & 4. Barbosa d. n. 2. & alii. Concordat Concilium Tridentinum Sess. 23. cap. 17. de Reform. ubi Clericis conjugatis, functiones quatuor Ordinum minorum exercentibus, jubet congrua stipendia assignari: quia hæc non dantur in titulum. Nisi dicere velis, istud fieri ex speciali dispensatione Apostolica, in dicto Concilio promulgata, conformiter illico dicendis: unde.

45 Resp. II. Ut Clericus conjugatus castitatem perpetuam, ut supra, non vovens, quaecumque Beneficium Ecclesiasticum obtineat, requiritur dispensatio Summi Pontificis: nec Sufficit dispensatio Episcopi, etiam loquendo de Beneficio simplicis. Ita Abbas Panormitanus cit. c. Joannes. n. 7. h. t. Angelus §. Beneficium. n. 15. Sanchez lib. 7. de matrimon. dist. 42. n. 18. Gonzalez ad Reg. 8. Cancellar. gloss. 2. n. 68. & 69. Barbosa cap. 2. n. 2. h. t. Garcias par. 7. de Beneficiis. cap. 5. n. 4. Flamin. Parisius lib. 4. de Resignat. Benefic. quest. 2. n. 28. citans magis communem: quamvis loquendo de Beneficiis simplicibus quæ non sunt Dignitates, non pauci velint, Episcopum posse dispensare; ut videre est apud Abbatem loc. cit. & Sanchez n. 17. Ratio Conclusionis est: quia Episcopum non dispensat contra Jus commune, nisi in casibus sibi à Jure concessis: ut can. Amputato. c. 26. q. 2. junctâ Glossa fin. ibid. & c. Dilectus, ubi Glossa §. Permissa de Temporib. Ordinar. cum similibus. Atqui talis dispensatio, etiam quoad Beneficium simplex, nullibi reperitur Episcopo concessa; imò potius videtur ipsi prohibita in cap. 2. & c. Diversis. 5. h. t. ergo.

46 Dies. In c. Joannes. 7. h. t. Pontifex decidit Clericum conjugatum non esse cogendum ad deferendam tonsuram Clericalem, dummodò nullum percipiat Beneficium: ergo supponit Pontifex, posse

Clericum ex dispensatione Episcopi habere aliquod Beneficium, saltem simplex. Respondent Glossa fin. ibid. & DD. passim, Capitulum istud verificari ex dispensatione Papæ, non autem ex dispensatione Episcopi. Nam, quia textus supponit, Clericum conjugatum posse habere Beneficium, non autem declarat modum; intelligi debet ex legitima dispensatione Papali, ut sic concordent jura juribus. Abbas, Sanchez, ut supra alioquin enim, si sufficeret dispensatio Episcopi, immerito Papa in c. Diversis. 5. h. t. jusset, ut Beneficia Ecclesiastica, scienter per Episcopum (& sic ipso facto dispensantem) Clericis conjugatis collata, per Superiorem suum eidem Clericis adimerentur.

Urgebis. Episcopus dispensat in Beneficio simplici cum homicida, & irregularitate ipsius, c. Henricus. de Cleric. pugnans. in duell. & c. Ad audientiam. 12. & c. Continebatur. 8. de Homicid. Idem ergo poterit in proposito. Resp. neg. consequent. Quia istud (loquendo de homicidio casuali, ut in Juribus præallegatis est) expressè per Sacros Canones Episcopis concessum: non illud. In materia verò dispensationum, quæ est exorbitans, non debet argui de casibus permissis ad non permissos, etiam si permissi sint majores; juxta Reg. 28. Juris in 6. Quæ à Jure exorbitant, nequaquam ad consequentiam sunt trahenda, cum concordantibus Jo. Andreas c. Quæ à jure. n. 9. de Reg. Jur. in 6. Abbas, Sanchez, ubi supra; etque jam dictum superius Lib. 1. Tit. 2. De Constitutionibus. n. 421. 451. & 454.

TITULUS IV.

De Clericis non residentibus in Ecclesia, vel Præbenda.

1 Ratio continuationis Rubricarum.

Cum Beneficium Ecclesiasticum detur propter Officium, ut dicitur cap. ult. de Rescript. in 6. non sufficit Clericos vitæ honestate fulgere, mulierumque consortia vitare, nisi etiam suum præstent officium ratione recepti Beneficii sibi incumbens. Quia igitur istud præstare non valent, nisi resideant in Ecclesia, vel Præbenda, ad quam assumpti fuerunt, meritò præsens Titulus prioribus subnectitur: pro cujus clariori intelligentia fit

§. I.

Præmittuntur generalia de Residentia Clericorum Beneficiarium.

SUMMARIUM.

- 2 Residere in Ecclesia, vel Præbenda, quid? Et num. seqq.
- 3 Residere nihil aliud est, quam deservire Ecclesiæ in Officiis Divinis.
- 4 Exiens in loco Beneficii, sed nihil præstans, residet materialiter, non vero formaliter. Et num. præc.
- 5 Beneficium datur propter Officium; nec est conferendum, nisi residere valenti. Residentia debet esse laboriosa, non otiosa. Ibid.
- 6 In Beneficiis Ecclesiasticis locum non habet Regula, potest quis per alium, quod potest facere per seipsum. Et cur?
- 7 Residentia est duplex, vera, & ficta: & quid? 8 Spectato

- 8 Spectato Jure communi, omnia Beneficia, etiam simplicia, possunt residentiam.
- 9 Ex generali tamen consuetudine, Beneficia simplicia cum non requirunt; nisi Fundator oppositè expresserit &c.
- 10 Episcopi, alique Beneficiati curam animarum habentes, Jure Divino, & naturali residere tenentur.
- 11 Istud tamen non est diffinitum per Concilium Tridentinum, tanquam dogma Fidei.
- 12 Absens potest gregi suo invigilare: & quando?
- 13 Pastor Jure naturæ, atque vi sui officii, tenetur gregi suo invigilare, nec ipsum deserere. Eadem obligatione, quæ quis tenetur ad finem, tenetur etiam ad medium, sine quo finis obtineri nequit. Ibid.
- 14 Beneficia non curata, Jure duntaxat Ecclesiastico exigunt residentiam.
- 15 Danturque aliqua Beneficia, quæ ad residentiam non obligant.
- 16 Instantia, & probans, etiam Beneficiatos non curatos teneri Jure naturali residere; ejusque solutio.
- 17 Juramentum de continua personali residentia, quomodo sit intelligendum?
- 18 Non obligat in casibus Jure communi exceptis: idque exemplificatur. & n. præc.
- 19 Quæ Spectato Jure communi sint pœnæ Clericorum, in suis Beneficiis debite non residentium. Nulli diversæ Dignitates Ecclesiasticæ, aut plures Ecclesiæ Parochiales sunt conferendæ, sub certis pœnis, & quibus? Ibid.
- 20 Beneficiarii debito modo non residentes, imprimis per Superiorem sunt citandi; seu monendi, ut resideant.
- 21 Et si præstatio tempore, cessante justo impedimento, non redierint, proceditur contra eos appellatione remotâ. Et n. præc.
- 22 Citatio Beneficiarii non residentis, debet fieri personaliter, quando scitur ubi sit.
- 23 Alioquin in Ecclesia, ubi Beneficium existit, debet publicari Edictum irinæ citationis: & quomodo? Nec sufficit unum preceptorium. Ibid.
- 24 Sufficeret tamen unica citatio personalis: idque ampliatur.
- 25 Beneficiarius propter longiorem absentiam privatus Beneficio si post reditum probaverit justam absentiam causam, est restituendus. Unde Superior non debet statim procedere ad privationem Beneficii &c. Ibid.
- 26 Pœna ordinaria Clericorum non residentium, est privatio Beneficii. Potest tamen Superior alio modo contra eos procedere: videlicet per censuram Suspensionis, & excommunicationis.
- 27 Non verò per pœnam Degradationis.
- 28 Hactenus dicta potissimum procedunt Spectato Jure communi antiquo. Et quid post Concilium Tridentinum? Remissivè. Ibid.

Quæritur I. Quid sit, Residere in Ecclesia, vel Præbenda; quibusque modis contingat? Resp. cum communi: Residere hoc loco dicitur is, qui fermè continuò commoratur in loco Beneficii sui, causâ officii, seu servitii Ecclesiastici personaliter præstandi. Dicitur imprimis, fermè continuò commoratur in loco Beneficii. Nam, qui aliquantisper tantum absunt, ex veterum Canonum sententia non videntur abesse, quia statim reversurum sum; prout loquitur Sacrosancta Synodus Reiffenstuel Jus Can. Tom. III.

8. telem residere duntaxat materialiter, quatenus corpore adest in loco Beneficii: non verò formaliter, cum maneat in loco Beneficii cum effectu; hoc est, cum exercitio muneris personalis, ad quod ipsa residentia ordinatur, & de quampræsentiarum est sermo.

Dicitur secundò, causâ officii, seu servitii Ecclesiastici &c. Quia onus residentie, Clericis Beneficiariis incumbens, est intelligendum cum effectu, c. Relatum. 4. h. t. Quin imò, ut notat Fagnanus in c. Conquerente. n. 16. h. t. & c. Licet. n. 25. de Præbend. Residere nihil aliud est, quam deservire Ecclesiæ in officiis Divinis, per textum in cit. c. Conquerente. h. t. ibi: Vel quod eidem Ecclesiæ non deserviat. Unde, si Clericus personaliter quidem existat in loco Beneficii, sed officium suum nunquam præstet (putà, si Canonicus, ceteroquin præsens in loco Ecclesiæ Cathedralis, vel Collegiæ, nunquam accedat Chorum, & Capitulum) non censetur residere. Pirhing. h. t. nu. 1. Quid enim prodest Clericorum præsentia in loco, ex quo Divinis non adiunt, propter quæ sunt Beneficia constituta? Glossa cap. un. §. Præsentis. h. t. in 6.

Nisi dicere velis cum Barbosa ad Rubric. h. t. nu. 8. telem residere duntaxat materialiter, quatenus corpore adest in loco Beneficii: non verò formaliter, cum maneat in loco Beneficii cum effectu; hoc est, cum exercitio muneris personalis, ad quod ipsa residentia ordinatur, & de quampræsentiarum est sermo.

Dicitur tertio, personaliter præstandi. Siquidem nullus ad Beneficium Ecclesiasticum assumendus est, nisi qui residere in loco, & curam ejus per se ipsum valeat exercere, juxta textum expressum cap. 3. h. t. Quia enim Beneficium datur propter officium, cap. ult. de Rescript. in 6. hinc residentia accipienda est in eum sensum, ut sit laboriosa, non otiosa. Fagnanus c. Ex parte. num. 15. h. t. Atque idcirco omnes, & singuli Beneficiati, Spectato Jure communi, tenentur ad residentiam personalem; id est, ad personale ministerium in loco Beneficii præstandum.

Neque impræsentiarum locum habet Regula 68. Juris in 6. Potest quis per alium, quod potest facere per se ipsum. Patitur enim Regula hæc exceptionem, seu fallentiam, quoties electa est industria, & fides personæ, cui quidpiam committitur: ut cap. ult. §. In autem. de Offic. Judic. Delegat. & c. Is. cap. 12. eod. in 6. Sic autem in Beneficiis Ecclesiasticis censetur electa industria, fidelique personæ, cui aliquod ipsorum conferitur, c. Quia nonnulli. 3. h. t. junctâ can. Metropolitanano. dist. 63. & can. Licet. 8. q. 1. & Concilio Tridentino Sess. 24. cap. 1. de Reform. ubi non nisi digniores, & Ecclesiæ magis utiles judicari, ad Beneficia curata promovendi jubentur. Unde consequens est, quòd non possit quis per alium residere in Beneficio: sicut etiam nequit Clericus recitare Breviarium per alium, una cum similibus. Accedit, quòd is, qui accipit aliquod officium, obliget suam personam ad proprias illius officii functiones; taciteque promittat, se illas obiturum, quantum res feret: & nisi putaretur id facturum, non ei daretur officium. Idem ergo dicendum de Clerico, cui datur Beneficium propter officium; sicque tacite sese obligavit ad officium suum personaliter præstandum, quantum res feret: hoc est, regulariter loquendo, ac nisi causa majoris momenti cogat ipsum ad tempus abesse à Beneficio.

Resp. II. Residentia, de qua agitur hoc Titulo, sive residentia formaliter considerata, est duplex; vera videlicet, & ficta. Ita Barbosa ad Rubric. h. t. n. 9. Pirhing eod. n. 2. & in re communis. Siquidem Residentia vera dicitur illa, quæ Beneficiarius verè ac realiter præstans est, in loco Beneficii, hujusque onera seu officia per semetipsum exercet.